

MACHINATIONES  
ALIQUOT  
RELIGIOSAS,

ob quas Neoterici verba Art. XVII. Aug. Conf.


*Damnant Anabaptistas, qui  
sentiunt, hominibus damnatis  
ac Diabolis finem pœnarum  
futurum esse,*

aut posthabent, aut passim exagitant,

DISQUISITIONE CIRCULARI ELIDET

AltdorfI d. 22. Aug. MDCCVIII.

PRÆSES

CHRISTOPHORUS  Sonntag/

SS. THEOL. D. ET PROF. PUBL. PRIMAR.

ECCLESIAE ANTISTES

ET

h. t. UNIVERSITATIS RECTOR,

RESPONDENTE

GEORGIO CHRISTOPHORO  
MÜLLERO,

Norimbergensi.

Coll. diss. A  
15, 3

ALTDORFI NORICORUM,  
LITERIS KOHLESII, VNIV. TYPOGR.

~~40.~~

cl. CXV. 3.



Stadts  
Landes-  
Bibl.



In nomine Domini Amen  
 Amen Amen Amen Amen Amen Amen Amen Amen Amen Amen Amen  
 Amen Amen Amen Amen Amen Amen Amen Amen Amen Amen Amen Amen  
 Amen Amen Amen Amen Amen Amen Amen Amen Amen Amen Amen Amen

IN NOMINE JESU! Amen.

§. I.

**F**allacem omnino, qua errores suos extravagantes in-  
 crustarat, *δεξιτερῶν* Apostolicam apud nos paucis abhinc  
 annis venditavit famosus atque nugivendus iste  
*Johannes Georgius Rosenbachius*, perinde, ac niger &  
 scribax ille, aut etiam alius *ὁμοίως ποιεῖ*, qui sub ejus-  
 dem larva delitescit, suo toties merito confutatus, Autor. Hic,  
 immediatum JESU CHRISTI influxum in anima crepans in præ-  
 famine der Wunder- und Gnaden-vollen Befehrung fol. 8. & de  
 Ecclesia nostra Lutheranò-Evangelica pag. 64. pronuncians, daß  
 es auch in der Lehre darinnen blind zugehe; atque adeò nullo præ-  
 misso discrimine pag. 55. asserens, carnale esse, si quis vel Luthe-  
 ranæ Religioni sese addictum profiteatur, (ubi locum Lutheri no-  
 tissimum Tom. II. Jen. Germ. fol. 92. a. b. planè mutilat & falsat)  
 imò pag. 74. 82. 67. secundum hypotheseon anteriorum tenorem  
 nimis promiscuè, ruditer & crudè arbitrans, daß derjenige Glaube/  
 welchen uns unsere Eltern / Schulmeister / und Pfarrer von Christo  
 vorgeschwazet / nicht bestehen / noch im Kampff die Probe halten  
 könne / sondern nur ein Historischer Hirn-Glaube / ein Christ-Kind-  
 leins-Glaube sey / und wie ein Nichts werden müsse / diphtheram  
 absurdissimorum, verboque divino haud subordinatum, sed è  
 diametrò adversantium dogmatum ita nobis exhibet ac offert in der  
 Wunder- und Gnaden-vollen Führung / ut communi Ecclesiæ no-  
 stræ sensu ac doctrinâ sese parum convinci autumat. Enimverò ex  
 istis in præsentia duo notare, hoc est, seductos in viam revocare, aut  
 rectè animatos in veritatis divinæ semita confirmare, constitui:  
 alterum nempe præliminariter de loco intermediò, alterum verò  
 operosius de Origenianâ, hodie recoctâ, restitutione. De illo  
 fabulam, quam fecit, populo placere vult pag. 43 - 50. De hac  
 autem pag. 278. 281. prophetans inequitat, inter cætera verba  
 sesquipedalia hanc quoque effutiens crisin: Es ist freylich diese Lehre  
 wie eine Perle / die Gott seinen Kindern hat anvertrauet / und als  
 ein Geheimniß / welches der Herr nur denen offenbahret / die ihn



von ganzem Herzen fürchten. Agedum super gemino isthoc fuco, quem plures hodie, Rosenbachium testibus veritatis Antichristianis annumerantes, non sine stropharum multijugarum ambitu jactitant, nonnulla juventutis bono disquirere certum est, ut proinde vel ex hoc duplicato pateat indicio, daß ihure in seiner vermeinten Besehrung nicht Christus / sondern vielmehr ein wieder Christlicher Geist lange nachgegangen sey.

§. II.

Non sequimur certè, nec sequendos putamus defensores loci intermedi, seu mavis, locorum intermediorum (ut jam ab hypothesi ad thesin transeundo præpostera Rosenbachii ἀκρόματα generaliori poppismo stringere, & machinationes aliquot religiosas Neotericorum posthac operosius elidere incipiamus) quæ adeant animæ separatae illorum, qui in Domino moriuntur, priusquam ad cœlestem Hierosolymam pertingant; ubi nimirum non ratione justificationis, verum sanctificationis, etiamnum purgandæ veniant, exceptis illis, quæ summum sanctificationis gradum (ita, ut purgatione illâ, aut etiam perfectione, gradatim ascendente, non habeant opus) jamdum hac in vitâ conscenderint. Sed & de damnatis paria confinguntur. Etsi enim novelli Origenistæ, ad ejusmodi opinionis singularis præcipitium abrepti, protestantur adversus Purgatorium Pontificium, ejusque satisfactiones, tanquam vitæ æternæ meritorias, suas haud faciunt: Tamen aliam quandam purgationem, animabus post obitum necessariam, docentes, idem ipsum, quod Pontificii, causantur, nihil immundi videlicet intrare posse in cœlestem Hierosolymam; adeoq; mundatione animas has beatas, in Paradiso, in sinu Abrahamæ, sub Altari etiamnum existentes, utut non ratione justificationis, tamen respectu sanctificationis, sine quâ nemo Deum videre possit, quamque hac in vita nondum perfectè consecutæ sint, opus habere. Lege Ven. Dn. D. Ittigii *Disp. de novis Fanaticorum quorundam nostræ ætatis Purgatoriis* §. 42. & seq. STIFELIUS quidem certè *REDIVIVUS* (ita turbonem Ecclesiæ nostratis, istum nempe calcarium fabricatorem, appellare fas esto) Tr. cit. p. 43. hæc habet: Den es ja noch viel Seelen gibt/die nicht recht fromm und nicht gar zu gottlos sind / und doch ohne Heiligung niemand Gott schauen wird / Hebr. 12. 14. und nichts unreines und gemeines wird in das neue Jerusalem eingehen / Offenb. Joh. XXI. 27. und wer nicht reines Herzens ist / wird Gott nicht schauen / Matth. V. 8. &c. So glaube ich auch wol / daß Gott noch nach dem Tode mit mancher Seelen



Seelen etwas vorhaben kan / und durch manche Reinigung führen und läutern dürffte. Et paulò ante pag. 47. Ingleichen fragten sie mich vom Fegfeuer / was ich davon hielte? Ich sagte: Davon wüßte ich nichts / wie sie es mit ihren Seel-Messen lehrten / und verfinsterten; aber das wol / daß freylich viele helle und klare Sprüche seynd in der Bibel / die auf einen mittlern Zustand der Seelen zielen mögen. Sed & Græci, utut cum *Metrophane Critopulo Confess. Cap. 20.* dicant: *Ὁ κ' ἔστι πῦρ καθαρτήριον παρ' ἡμῖν*, *Non est apud nos ignis purgatorius;* Tamen addunt ibidem, sese statuere *δλίφιν τιτὰ ἀπὸ συνειδήσεως*, afflictionem quandam conscientie, cum spe meliorum temporum conjunctam, *διήκουσαν*, *ἕως ἂν ὁ Θεὸς θέλη*, pertinentem, quousque Deus voluerit. Statuerat nimirum paulò ante *Metrophanes*, dari quosdam, qui non statim à morte actu ipso salute potiantur, sed potentia, atque in spe illam excipiant; spe, inquit, firma & manifestâ, qui prius virgâ Dei paternâ tentati, digni habeantur, ut suo tempore etiam actu ipso beentur. Ita *Critopulus*. At Neoterici isti, de quibus jam loquimur, actualem beatitudinem animabus, in sinu Abrahæ quiescentibus, haud negant; eas tamen nondum ad cœlestem usque Hierosolymam arbitrantur pertigisse.

§. III.

Judicet nunc, qui judicare potest, dum has *Rosenbachii* & aliorum affanias expendit, an 1. visio Dei beatifica, clara & intuitiva cum ullo sanctificationis humanæ defectu possit esse conjuncta; ubi nempe perfecta imaginis divinæ recuperatio, adeoque consummata voluntatis & appetitus rectitudo datur; ut adeò Deum videntes in justitia exaturentur per imaginem ejus: quæ felicitas nunc animæ separata, & in resurrectione etiam corpori cedit *Psal. XVII. 15.* *1. Cor. XV. 49. 50.* Judicet, an non 2. idem argumentum, quo *Nostri* dudum exploserunt Purgatorium, quando ex *Apoc. XIV, 13.* urserunt, **BEATOS A MODO ESSE, QUOTQUOT IN DOMINO MORIANTUR**, etiam hanc purgationem, defectuumve suppletionem, quæ post beatitudinem jamdum acquiritam cœlitibus etiamnum superstes, ac necessario subeunda creditur, evertat. Beatitudo quippe æterna omnis immunditiei est expers. Judicet 3. an non *Paulus* iisdem contrarietur, *Rom. VI. 7.* ajens: Qui mortuus est, jamdum justificatus sive liberatus est à peccato: Unde *nostri* adhuc probarunt, peccatum originis, quæ reatum in justificatione, quæ dominium in renovatione sublatur, quæ fomitem, sensum & inexistenciam in ipsa corporis & animæ



soluzione tolli. Judicet 4. an non paradifus, finus Abrahæ, & cœlestis Hierofolyma potius fynonyma vitæ æternæ, & quidem ratione fedis spectatæ, sint, quod B. Gerhardus LL. de vit. æterna §. 11. docet, quam gradualiter differentes vitæ æternæ sedes, habitacula & cellulæ, quarum interfectio alios beatorum minus sanctos, quam alios, describat? Nam juxta loci intermedii Hyperaspistas nonnulli, in Paradiso aut finu Abrahæ viventes, in cœlesti Hierofolyma nondum vivunt, & cœlestis Hierofolymæ inquilini Paradisiacis haud paulo sunt sanctiores. Ubi verò Scriptura talem sanctitatis beatæ differentiam tradit? Nec juvat eos *πρόφασιν α*, quod talis purgatio aut defectuum suppletio non sit pœna vel privativa, vel positiva, sed peculiare beneficium Dei. Nam hoc est petere principium; siquidem de eo quaestio est, num tale beneficium Dei ex Verbo Dei probari queat, quale conferatur illis, qui quidem beati sint, & in finu Abrahæ degant, sed nondum habitent cœlestem Hierofolymam, & ab inhaerentibus impuritatibus ac defectibus sanctitatis adhuc purgandi sint? Unde, inquam, probabitur, iis, qui sunt in finu Abrahæ, qui clare vident Deum, defectus etiamnum inhaerere suos, ob quos nondum attingere cœlestem possint Hierofolymam? Unde probabitur, summum sanctitatis gradum vel ulli hominum viventium in hac mortalitate competere, & si cui non competat, eum in statu visionis beatificæ nondum satis mundum esse, aut mundiorem fieri posse? Nec *πρόφασιν β*, eosdem juvat, quod nonnulli veterum imperfectam beatitudinem animæ separata, eidemque beatæ, tribuerint. Illi quippe perfectionem partium ei negarunt; hi graduum: Illi nunquam & nusquam locuti sunt de tali imperfectione, quæ supplementum sanctitatis, aut purgationem à sordibus, adhuc adhærentibus, requirat, & ob quas anima nondum ad cœlestem Hierofolymam pervenire, sed in finu Abrahæ subsistere cogatur; Hi verò talem omninò confingunt, utut *πολυχιδῶς* super eadem loquentes.

§. IV.

Per ἀποκατάστασιν Act. III. 21. intelligitur omnium eorum, quæ per lapsum primorum parentum amisimus, restitutio, minimè verò Diabolorum aut damnatorum hominum ex inferno liberatio. De hac autem posteriore verba Articuli XVII. A. C. notissima jamdum in epigrapha Disquisitionis hujus laudavimus. Vindicare enim hæc animus est in præsentem contra machinationes aliquot religiosas,



giosas, cum vetustiores, tum recentiores, quibus complures, in gyros otiosarum speculationum abacti, eadem fodicare studuerant. nec verò tantum utile, sed & necessarium est, has mentium, à veritate divina aberrantium, circulationes juventuti reddere explanatiores, ut, si fictitiosejismi in mentem illapsus postmodo audiant videantque, tantò majorem adhibeant cautionem, ne circumveniantur. Huic equidem circa enucleationem Paulini istius τὴν ἀληθείαν ἐν ἀγάπῃ Ephes. IV, 15. frequentius inculco, subjicioque, ut nosse discat, eam demum esse τὴν ἀλήθειαν ἐν χειρῶν moralem, quæ τὴν ἀλήθειαν ἐν χειρῶν doctrinalem, tanquam principium, unde procedit, præsupponat. Quo consilio stringebam argumentum isthoc in *Entibus rationis Theologicis*, anno 1704. d. 1. Octobris pag. 5. in *Divariationibus novatoris* anno 1705. d. 4. Febr. pag. 53, 54, 54. nec non in *Pseudo-catechista Racoviensi*, anno 1705. d. 10. April. pag. 21, 22. Enimvero si Diaboli ac damnati homines post tot chiliadum chilia- das utcunque restarent salvandi, tum porta cœli non esset angusta, sed lata, contra Luc. XIII. 23. 24. quod contra Origenistarum & Fratrum Misericordium asseclas jam pridem urfit B. D. Joh. Schmi- dius, *Argentoratensis quondam Theologus, isque πραγματικώτατος*, Conc. 4. in hunc textum. Et profecto, si universum Bibliorum codi- cem à capite usque ad calcem permeamus, inde usque à principio Paradisiaco positum invenimus inter duo regna, Christi nempe & Satanæ, dissidium. Hinc nulla omninò Christo cum Beliale, uti nec luci cum tenebris, intercedit communio; tantum abest, ut aliqua Belialis auguranda veniat reconciliatio. Universa quoque Scri- ptura Canonica mutuam, eamque perpetuandam, horum duorum regnorum pugnam constanter inculcat. Velut enim Fortis armatus nunquam non tam hostiliter adortus est regnum Christi, ut vel cal- caneum ejus admorderet: Ita contra Christus Fortior expugnavit Principatus ac potestates infernales, ac triumphavit de illis, sicque caput antiqui colubri prorsus conculcavit; tantum abest, ut ali- quam restitutionis spem eidem fecerit reliquam. Idem ille, venenum ac mors morti, & pestis inferno factus, illum expugnavit, qui mor- tis habebat imperium, nosque ab inferno liberavit. Neque enim  
Ange-



Angelos, sed semen Abrahæ assumpsit, adeoque toto suo merito, passione, morte ac descensu in infernum majestatico ac triumphali id intendit, id egit, id potenter effecit, ut Satanæ caput haud ad tempus modò, haud in multa millia annorum, pessundaretur, verùm prorsus conculcicaretur, utque mors absorberetur in æternum. Quocirca (ex immotæ veritatis antithesi: Qui credit, salvabitur; Qui non credit, damnabitur) haud procul à fine Codicis Biblicæ extra cœlestem Hierosolymam locantur damnati Ap. XXII. 15. torquendi cum Diabolo in æternitatum æternitates XX, 10. hoc est, sine fine; & lucem nunquam visuri Ps. XLIX, 20. verùm in infernò mansuri, v. 15. Nec aliquid immundi, sed, qui scripti sunt in libro agni, eandem ingredientur, XXI. 27. Uti ergo fictitia ista restitutio adversatur operi Christi redemptorio, ita & adversatur ipsius Verbo, quod vermem damnatorum non esse moriturum, & ignem eorum non extinctum iri, plus vice simplici affirmavit. Imo adversatur ejus iudicio, quo velut justificati in vitam (non periodice, sed interminabiliter æternam; ita etiam damnati in κόλασιν, non periodice, sed interminabiliter) æternam ituri commemorantur. Quod sanè argumentum jamdum in Origenistas masculè intorsit Synodus Oecumenica V. Constantinopolit. Vid. *Bin. Concil. Tom. IX. p. m. 335.*

§. V.

Quod si negaverit non nemo Patristicum istud, τὸ ἀπρόσληπτον ἀθεράπευτον: Quicquid Christus non assumpsit, illud non redemit; causatus, *Omnia per ipsum reconciliata esse ad ipsum, quæ in cælis & in terra sunt*, Col. 1. 20. regerunt Verbo Dei conformiùs Orthodoxorum Scholæ, in textu non addi, quæ IN INFERNO sunt, ita quidem, ut Diaboli etiam includantur reconciliatis. Pacem itaque fecit Christus per sanguinem Crucis suæ inter bonos Angelos hominesque, sed non inter homines & Angelos malos. Nec enim mali, sed boni cecinerunt: Gloria in excelsis Deo, pax in terra, & hominibus εὐδοκία. Cui ergo bono pro celeriori Diabolorum damnatorumve hominum liberatione oremus, si vel pro peccato ad mortem orare prohibemur? Ficulnea insuper sequela est: *Paulus antegressis versibus, 15. & 16. asserit, à Christo Primogenito omnes*

omnes



omnes creaturas, omnesque adeo Angelos, tam bonos, quam malos, esse Deo reconciliatos, aut reconciliandos. Nempe enim versus 10<sup>us</sup> de creatione; 20<sup>mus</sup> autem de redemptione manifestè agit. Ecquis autem sibi persuasum habebit, objectum redemptionis æquè latè, ac creationis patere? Utut redempti, utut conciliati sint, qui in terra & in cœlis sunt; non tamen dicuntur ἀποκαταλλαγέντες, qui in inferno sunt, ceu jamdum observavi. Præterea minus solidè statuitur, dependentiam naturæ damnatæ à causa primæ, cui justitia, cui veritas, cui sanctitas essentialis est, cum interminabilitate supplicii infernalis non posse stare. Frustra enim talis misericordia in Deo esse putatur, quæ sit injusta, mendax, & minus sancta. Semetipsum negare non potest Deus. Instas, ἀνομίαν quidem damnatorum sine fine cruciari debere per Dei justitiam; sed naturam ἁγῶν ἀνόμων ipsissimam, ab influxu conservativo benignitatis & misericordiae divinæ dependentem, non posse non, hac salva, restitui. Ego verò repono, ipsam ἀνομίαν maculam, culpam & offensam, atque adeò atrocitatem, enormitatem & abominabilitatem esse tantam, ut totam naturam Diaboli, quippe in veritate non stantis, & Patris mendacii, nec non hominum damnatorum, utut non Metaphysicè, Ethicè tamen depravârit, ut adeo hæc ipsa quoque, velut in consortium peccati, ita nihilominus in participationem pœnæ merito veniat. Anima, quæ peccat, ipsa morietur. Accipiet quisque coram tribunali pantocritico, quod fecit in corpore, corpusque, simul peccans, simul punietur. Per quod quis peccat, per idem punitur & idem; ceu (crassiore exemplo ut rem dilucidemus) in fure non furtum in abstracto, aut ἀνομίαν furti, sed ipsummet corpus ἀνομιον suspendi videmus. Frustra igitur confingitur gratia Dei, ubi est interminabilis ejusdem ira, Sir. V. 7. Frustra statuitur talis naturæ damnatæ à misericordia & benignitate Dei dependentia, quæ ejusdem dependentiæ à justitia omnipotentis Dei contrarietur. Ideo nimirum, quia gratiæ janua tunc est clausa Matth. XXV. 10. & magnum chasma firmatum Luc. XVI. 26. etiam frustra sic arguitur: *Diaboli Metaphysicè dependent à Deo, tanquam causa secunda; Ergò Diaboli liberabun-*



*tur ex inferno.* Frustra itidem hoc pacto infertur: *Quic. punit id, quod non est puniendum, ille est injustus.* Atqui Deus, *eternum supplicium infligens &c.* Ergo. Negatur enim ac pernegatur Minor propositio, falsò supponens, quod non *ἀνομος*, verum *ἀνομία* in abstracto sit punienda. Sic nimirum nullus adulter; sed adulterium duntaxat ipsum & in abstracto consideratum, ad poenam commertitam trahendum foret. Ne quid de eo dicam, quod homo, si spectatur, ut puniendus, non tantum in prædicamento substantiæ, verum etiam relationis spectetur, nec tantum Ethicæ, verum etiam Physicæ considerationis sit, prout concretiva nomina compositum significandi modum involvunt. Cæterum omnes damnatorum actiones esse malas, vel alibi cum *B. Gerh. LL. de Infern. §. 76.* sic evicimus: (1) quia in malo sunt obstinati ac obdurati, pravitate voluntatis, in qua & cum qua fuere mortui, immobiliter ac immutabiliter in perpetuum eis adhærente; (2) quia semper erunt in actuali Dei odiò; (3) quia blasphemabunt (blasphemix causâ impulsivâ, nempe dolore, semper durante) Apoc. XIV. II. nonnulli hûc trahunt XVI, II. adeoque gloriam justitiæ divinæ, ad quam primitùs creati fuerant, & jam ad eandem à Deo diriguntur, ipsi minimè intendunt. §. VI.

Quando prætexuerant *οὐκ ἔστιν ἐναντίας, regnum Diaboli sic potentius fore regno Christi, idque ob majorem subditorum numerum;* in promptu responsio est, immane quantum dari discrimen inter regnum regnans, vincens, triumphans; & regnum devictum, exuperatum, triumphatum. Regnum Satanæ nequaquam prioris, verum posterioris est generis. At non in hoc, verum in illud cadit potentia. Remanet in hoc, quanticunque demum sit numeri, mera impotentia. Quando *fidem Diabolorum huc detorserant, de qua Jacob II. 19. agitur;* plane aliam Diabolorum fidem, quam analogia Scripturæ suppeditat, fuerant commenti. Quamvis enim & Diaboli habeant notitiam Verbi divini, ut non obscure exemplum Tentatoris Gen. III. 2. Matth. IV. 6. & illud Jacobi Cap. II. 19. edocet; tamen (ait *πάντων ἐγγράφως B. Chemnit. Disput. de tentat. sensus & inexis. fidei, §. 24.*) IN ILLIS VERBUM DEI  
NEC



NEC POENITENTIAM , NEC CONVERSIONEM , NEC FIDEM OPERATUR , SED TREMOREM : QUIA ILLIS NON EST DATUM IN ISTOS FINES , SED NOBIS. Ecqui ergò in inferno pœnitentiam agent , omni pœnitentiæ medio destituti? Porrò sunt meræ petitiones τῆ ἐν ἀρχῇ , quando damnatis jus παλιγγενεσίας ac genitura secunda tribuitur , ut ut ad primogeniture participationem in æternum pertingere nequeant , quando æternitas supplicii infernalis haud interminabilis , sed duntaxat periodica esse creditur , & quando spatia imaginaria , sive extramundana , hoc est , negationes corporum potentiam nescio quam habere statuuntur eadem in ἀποκατάστασις recipiendi. Resurgent omnes , qui in monumentis sunt , alii ad vitam æternam , alii ad opprobrium æternum. Affinge æternitatem periodicam inferno; non poteris , quin eandem gaudiis quoque cœlestibus affingas. Recubant damnati in inferno , macætarum ovium instar ; mors depascit eas: Hic manebunt. Quærent mortem temporalem, & non invenient eam; & desiderabunt mori; at enim verò fugiet mors ab eis. Plura ibi tormenta, quam guttulæ in oceano, literæ in cœlo, chartam repræsentante, arenulæ in litore marino, aut in monte, qui universo æquiparari mundo solet. Nullus ibi *annus Jubilæus*, qui post septem annos *Sabbaticos* recurrat: Nullus *libertatis annus*, quo mancipia infernalium à servitute & carcere interminabili redimantur, erit superstes. Quoniam enim argumento probabitur, *singulis Sabbaticis annis respondere septena annorum millia*, ut, quemadmodum post septies septem, id est, 49. annos in V. T. sequebatur quinquagesimus quisque; ita, post septies septem millia annorum secuturus sit *annus quinquagesimillesimus*? Unde probabitur, per annum Jubilæum præfiguratum esse annum liberationis ex inferno, quodque anno communi mille anni infernales respondeant? Vid. Dn. D. Schelgu. Synopf. pag. 401.

§. VII.

Si quid tribuere nonnulli pergunt glaucomati , quod ne Dei justitia quidem maneatur salva , stantibus æternis ac indefinentibus damnatorum cruciatibus , eo , quod imparitas quedam æternitatis,



cum iustitia minus conciliabilis, appareat, & damnati sub fœdere veteri, quantumvis eadem, qua damnati sub novo fœdere, meriti, per multa tamen secula, imò per aliquot chiliadas annorum his diutius crucientur; quamobrem finem pœnarum potius affore, quam equalibus delictis inæquales inflictum iri pœnas; respondebitur bifariam: **N) indirecte.** Si argumentatio hæc non nihil roboris haberet, tùm inæqualitas pœnarum infernalium per ipsam quoque restitutionem commentitiam tolli haudquaquam posset. Nam vel sic inæqualiter puniti forent, alii longiùs, alii breviùs, utut à suo quisque supplicio liberandi. Id quod & iustitiæ divinæ adversaretur, & sapientiæ, æternitate in tempus absurdè transmutatâ. Prætereà simili jure dixerit non nemo, iustitiam divinam lædendum ob fidem *ισότημον*, alii citius, alii tardius ad fruitionem æternæ salutis pertigerint, pertingantque hodiernum; & sic pii sub V. T. eandem longius percipiant, quam pii, sub N. T. in Domino mortui, beatitudinem. Fallor, an excipient, nequaquam ita dari imparitatem æternitatis beatæ, utut adsit imparitas temporis aut initii? (Competit nempe gaudiis cœlestibus æternitas, utut non per naturam, cujusmodi soli Deo competit, tamen *τῆ χάριτι*, sive ex gratiosa Dei voluntate talis) Idem ergo ipsum & ego super hac objectionem judicavero, illam nempe ab imparitate temporis ad imparitatem æternitatis perperam inferre atque colligere. Competit nimirum infernalibus quoque suppliciis æternitas, utut non *κατὰ φύσιν*, tamen *κατὰ μέθεξιν, οἰκονομίαν καὶ τάξιν*, utut non absoluta, tamen participata, & ex iusta Dei voluntate talis. **D) directe.** Tempore non venit metienda, cùm beata, tum damnata, æternitas. Velut enim essentia beatitudinis una eademque est; & ne tantillum quidem ei decedit, sive anima in fide perseverans heri deportata sit in sinum Abrahamæ, sive hodie aut cras deportetur; etenim electorum omnium ultimus non minus beatus erit Adamo, qui si ad nos rediret, beatitatem, à se jamdum per tot millia annorum perceptam, vix unius diei beatitatem, ac ne vix quidem videri, dicturus esset; Ita nec essentia æternæ damnationis recipit magis & minus apud eos, qui vel olim ad eandem detrusi ob  
fina-



finalem incredulitatem fuere, vel hodiernum detruduntur. Atque sic omnino æqualitas fidei & incredulitatis ex una omnium parte, nec non æqualitas fruitionis beatificæ ac damnationis æternæ ex altera omnium parte cernitur. Perinde ergo nos, ac Patres nostri, salvamur: nec iustitia divina utrobique vel tantillum violatur. Tempus tunc non est amplius contractius, diuturnius, brevius longiusve, ubi mera huic æternitas, sive gloriosa, sive damnata (initium quidem, at non fluxum habens) successit. Igitur durationem fluxam frustra metimur permanente, cum electi cœlites non amplius numerent annos (nempe enim hic & sol & luna sunt sub pedibus eorum) Frustra insuper infirmitate mentis nostræ, quâ æternitatem, nobis incomprehensibilem, secundum prius & posterius æstimamus, perinde, ac si tempus, hoc est, duratio fluxa & successiva foret, ipsammet æternam Dei essentiam æstimare ac metiri audeamus. Frustra tandem ad imparitatem initii æternitatem hancce gloriosam damnatamve referimus, quæ ad parem finis sive termini negationem, omnibus, seriùs ociùs ad eam pertinentibus, communem, potius fuerat revocanda. Multa paucis: Si tam beata, quam damnata æternitas non καὶ ἡμᾶς, prout eandem ob infirmitatem intellectus nostri fluxu temporis metimur, verùm καὶ ἐαυτὴν æstimetur, nullam amplius temporis brevioris longiorisve successionem, sed constantem potius, fluxui temporis contradistinctam, permanentiam connotat insinuatque. Similiter cognitionem & dilectionem alterius vitæ, quâ Deo fruemur, sese non ut actus successivos, verum permanentes, habere, docet jamjam laudatus Dn. D. Schelgwig. *Synops. Art. XXX. quest. 7* Objicis: *Omne ens, quod non est simpliciter perfectum, non potest in æternum durare. A. Dammati. E. R.* per instantiam jamdum insinuatam. Hoc nimirum si valet, ne beati quidem cœlites in æternum vivent durabuntve, utpote & ipsi non simpliciter perfecti. Cæterum de incapacitate damnatorum quid habendum, inferius monebitur.

§. VIII.

Sed videor audire novellos Origenistas, contendentes, quod hoc pacto veræ illimitata universalitas gratiæ & redemptionis experi-



ret; contra verò Particularismus planè ἀντίγεγονός exurgat. Eo tendit non nemo à Dn. D. Pertschio secundùm devictus in *Præfam.* Quasi verò Catholicismus ille gratiæ Evangelicæ ac redemptionis per J. C. factæ ad alia pertineat subiecta, quam τὰς ἀνθρώπους πάντας πάντας ἄδ. XVII. 30. & ad aliam, quæ sub cælo est, creaturam, quam eam, ad quam Protevangelium in Paradiso factum est, Gen. III. 15. Hûc, & non amplius, extendenda est illa, ratione principii, temporis, loci, & obligationis in Scripturis deprædicata ac tradita, universalitas. Videor porrò audire rhetoricantes, *quod æternitate suppliciorum infernalium asserta, impiis etiam vitam æternam adjudicare oporteat, quam Scriptura tamen solis piis ac fidelibus promittat.* Ecquis enim amabo, non videt, lusum esse in termino *vitæ æternæ*, & hanc, prout sumitur Physicè, cum vita æterna, prout Theologicè accipitur, confundi? Physicè hæc in unione animæ cum corpore, aut certè in possessione ac fruitione facultatis vitalis, atque in exercitio actuum sive operationum vitalium; Theologicè in visione beatifica consistit. Obtendunt autem *mortem secundam, quæ per separationem à Deo definitur, non posse esse pœnam infinitam, eò, quod Deus sit ubique præsens Psal. 139. 7. 8. & ita non sit possibile, ab eò unquam aut ullibi separari.* Judicet nunc eruditus Lector, an non denuo præsentia Dei gloriosa cum universali confundatur. Neque enim huic, sed illi opponitur separatio à Deo æterna. Ad idem collimant, ac penè pruriunt, obijcientes, *mortem esse ultimam lineam rerum, adeoque post mortem haud superesse pœnam;* verùm quis non animadvertit, privationem vitæ naturalis, ultimamque lineam rerum in hoc mundo, cum privatione vitæ æternæ, quam Scriptura ὀλεθρον αἰώνιον vocat, sic misceri? Obtendunt, *ita non peccatum, sed resurrectionem Christi, æternarum pœnarum causam fore. Absque hac nimirum Christi resurrectione si fuisset, nemo damnatorum è sepulcrò resurrexisset.* Verùm laborat hæc antithesis falsa hypothese, quasi impiorum corpora, ad æternum opprobrium resuscitanda, virtute apprehensæ resurrectionis Christi sint resurrectura, cū tamen impii non sint membra Christi, adeoque nullo influxu Capitis hujus gratioso



tioso gaudeant, nec resurrectionem aut meritum ipsius sibi vera fide applicent. Verum est, Christum ab omnibus hostibus, quorum ultimus est mors, nos liberasse; sed falsum est, eum impios liberasse à tali morte, quæ sit annihilatio, aut, impios & fideles fructum liberationis à morte, per J. C. factæ, percipere. Verum est, *passionem dolorum infernalium vicariam in Christo Θεανθρωπῶ* *πῶ* *fuisse terminatam*; sed falsum est, *idcirco eandem, peccatis propriis commeritam, in Ψιλανθρώποις quoque esse terminandam*. Verum denique est, *peccatum finitum Deo infinito equiparari non debere*; perperam autem *negatur, quod vel Dei infinita justitia per peccatum finitum offendatur, vel, quod peccato finito pœnas Deus decreverit, aut constituerit infinitas.*

§. IX.

Instare haud cessant fecius animati, *effusionem iræ divinæ esse repentinam, esse ignis instar, esse diem Domini: jam autem id, quod per spatium diurnum describitur, non posse esse æternum infinitumve*. Expendant autem, velim, repentinam iræ divinæ effusionem potius de acceleratione & amplitudine pœnarum divinorum, quam de transitoria duratione earundem; ac diem Domini non exclusivè, sed cumulative & Θεοπροπῶς venire capiendum. Nec aliæ verò cessant exceptiones, *opinionem de æternis inferni suppliciiis causari timorem, timorem autem habere κόλασιν, & impedire, imo necare fidem, reddere inidoneum ad B. O. augere peccata, efficiere melancholiam, autochiriam, desperationem*: quibus consecrariis à sinistra ab abusu hujus doctrinæ, quæ de æternitate dolorum infernalium agit, ad verum, legitimum & verbo Dei congruentem usum concluditur. Affirmat Deus, *se non in æternum irasci velle*, Esa. LVII. 16. Quibus autem hoc pollicetur? Non impiis certè damnatis, verùm piis in tempore gratiæ etiamnum degentibus. Eritne Deus hominibus crudelissimis quibusque crudelior, *si parentes erga liberos, dira patientes, misericordia afficiuntur, ipse autem erga damnatos non item; cum tamen vel damnati homines sint ipsius genus, & ipse σοφῶς legemque naturæ & æquitatem humanis injecerit animis?* Sed & idem ille scintillas justitiæ piis indidit

dit



dit hominibus, quibus accensi oderunt peccata, & adversus hæc summo cum zelo indignantur. Sed & diuturna longanimitate toleravit iniquissimos: sed & prædixit, morte morituros æterna, si peccarint, & condemnatum iri, quicumq; non crediderint. Imò lachrymis impœnitentiam filiorum degenerum atque pertinaciam profecutus est Filius Dei. Quoties enim ipse voluit hos congregare, velut gallina pullos suos? At ipsi noluerunt. Proin jure in eos intorsit Christus prædicationem terribilem, realem, legalem, majesticam, spiritibus in carcere, qui olim non crediderant, convenientem. Ingeminavit notissimum istud: Perditio tua ex te, o homo damnate, qui maluisti esse εἰς ἀπολείας, ac tempus gratiæ negligere, quam acolaustus, in tempore gratiæ resipiscens. Neque enim ad illum, sed ad hunc pertinet æquitas ac misericordia. *Indulgentne Patres humani ultra meritum veniam filiis immorigeris?* Deus noster non est sic. Neque enim homines in malitia obfirmat sua, aut eosdem, salva æterna justitia, obfirmare potest. *Guttula est omnis humana æquitas, cum oceano æquitatis divina collata;* sed & guttula est omnis humana justitia, cum justitia divina comparata. *Oritur ne sol gratiæ divina equè super pios & impios?* At in tenebris exterioribus nullus amplius sol lucet; neque ulli prodest sol hic terrestris, qui oculos claudit. Benignitas Dei, ut Creatoris, voluntati ejusdem, ut justiciæ Judicis, haudquaquam erat opponenda; sed collateraliter secundum utriusque, nec magis, nec minus recipientem, relationem agnoscenda. *Duas tunicas habenti mandat Deus, ut unam impertiatur nullam habenti.* Idem autem æternam κόλασιν adjudicat hac invita nudum non vestienti.

§. X.

Rhetoricam ergo potius, quam Logicam aut Theologiam sapiunt hæ argumentatiunculæ: *Per Adamum secundum vitam ad omnes homines pervenit. Ergo gratia Dei perperam in mundo nunc presente ad omnes, in futuro autem ad paucissimos extenditur.* Etenim ad fruitionem gratiæ salvatrici non tantum ejusdem oblationem; sed & verè fiducialem applicationem requiri, vel illi apud nos, qui Theologiam vix à limine salutarunt, perspectum habent.



habent. Et verò voluntas Dei consequens, qua, cum pauci credant, pauci etiam salvantur, manifestæ revelationis est. Similis furfuris ista: *Si omnes homines sunt in Deo: Ergo & omnes sunt in Christo; idque eo, quod Christus dicat: Ego & Pater unum sumus.* item, quod Deus fuerit in Christo, mundum sibi metipsi reconcilians. Tam turpiter, in Deo esse per creationem, & Deum in Christo esse per incarnationem, & esse in Christo per sanctificationem, confunduntur. Nec melior hæc: *Uti in primo Adamo omnes moriuntur: Ita in secundo Adamo omnes, etiam damnati, vivificabuntur.* Ad hoc enim, ut quis in Christo vivificetur, requiritur applicatio verè fiducialis resurrectionis & meriti Christi, quam Apostolus subintelligit ac præsupponit; quæ tamen minimè omnium reperitur in damnatis. Porro plus in conclusione inferitur, quam fuerat in præmissis, si ita inferitur: *Omne bonum est communicativum sui, & quanto majus bonum, tanto magis κοινωνίῳ.* Et ita maximum bonum est maxime κοινωνίῳ. Etenim majus bonum est, omnibus, tam beatissimis, quam damnatis benefacere, quam solis beatissimis, qui damnatis sunt pauciores. Verum enim verò ad κοινωνίαν seu participationem summi boni gloriosam in antecessum requirebatur verè fiducialis applicatio ejusdem, quæ damnatis defuit. Arguitur insuper admodum sinistrè: *Omnis caro videbit salutare Dei. Ergo etiam damnati.* Nam & alia Scriptura asserit, damnatos omni carni esse abominationi, esse extra coelestem Hierosolymam, neque unquam ad verum Dei sabbatismum perventuros. Nihilominus ficulnea est sequela: *Deus conclusit omnes sub peccato, ut omnium misereretur. Ergo etiam damnatorum miserebitur.* Janua quippe misericordiæ hic clausa est, ceu diximus, & χάσμα μέγα inter hanc & damnatos interjacet. Tandem & hoc ratiocinium & ἀδιάλυτον: *Omnis creatura liberabitur à servitute. Ergo & Diaboli ac damnati. Ergo etiam Judæi atque Ethnici, quos πᾶσα κτίσις omninò non excludit, olim restituentur.* Liberatio quippe τῆς κτίσεως, quæ à servitute ad non-existentiam ejusdem in extremo die fiet, atque vel ex mente & explicatione secus sententiarum ad articulum creationis pertinet, ad liberationem articuli

C

secundi



secundi ac tertii, quæ à peccato ad vitam æternam est, præpostere detorquetur. Nec Evangelium alii, quam rationali & humanæ, creaturæ prædicatur. *Potest* (inquiunt) *Deus & Diabolo & homines ex inferno liberare.* Fac posse; (utut nihil possit justitiæ suæ contrarium) tamen haud sequitur, quod velit. Sic ratio concludit humana, Deum debuisse Adamum præservare à lapsu, & Angelorum lapsorum perinde misereri, ac generis humani. An ergo fecit? An facere voluit? Sapiencia sanctitasque divina non ἀτερ γεγοφῆς humanæ sapientiæ & sanctitatis decempedâ erat metienda. Deus utique plura potest, quam nos intelligimus. Inde verò haudquaquam sequitur, quod ea, quæ potest, semper velit. Ecquis enim rectè asserat, Deum aliquid velle, quod ipsemet in Verbô suô testatum fecerit, se nolle?

§. XI.

Proin si spiritus Sanctorum, ὡς ἐν χειρῶν habentium, misericordiamque & charitatem vel erga hostes exercentium, ita, ut nullus eorum ulli hominum vel per horam pœnas gehennales apprecari possit, misericordiam quidem Dei, cui bonum pro malo reddenti sese illi assimilant, penitissimè sentit, & tamen non simul virtutem justitiæ Dei percipit, imò ne quidem agnoscit, eidemve justitiæ aliquid detrahi posse existimat; ille ipse sane spiritus Sanctorum imaginarius est, & nihil minus, quam ἀλήθεια ἐν χειρῶν, verbo, fide & opere sibi semper consonans. Persuadeant sibi, qui sibi hac tanta cum mentis infirmitate placent, sua duntaxat esse πνευματικά, cæterorum autem dicta, facta, scripta σαρκικά; sufficit, quod cordatioribus id minus persuadere queant. Nec enim mens Christi ad mentem sanctorum qualemcunque: sed hæc ad illum potius, ceu normam & amussim, referenda. *Remitte eis,* ait *Christus,* durante gratiæ tempore; qui idem peccatum in Spir. Sanctum nec in hoc, nec in futuro seculo, hoc est, in æternum remissum iri, asseverat. *Nolebat ille, cælitus delabi ignem super hostes;* qui tamen nihil secius ignem hominibus malis inextinguibilem, & vermem non moriturum, comminatur. Et verò, cur pœne infernales fructibus spiritus, quos inter est charitas, gaudium, pax, longa-



*longanimitas, adversentur?* Amare enim, quos Deus odit, non est vera charitas, nec voluntati divinæ consentanea voluntas. Similiter gaudere iis, quos Deus abominatur, pii haud solent. Spiritus sanctus est quidem Consolator; est tamen etiam Judex mundi elencticus, qui, Principem mundi jamdum judicatum esse, testatur.

§. XII.

Quæ cum ita sese habeant, inflictio poenarum æternarum haud militat contra naturam universalis Dei bonitatis, nec contra spiritum gratiæ & misericordiæ, qui est in Sanctis, nec contra mentem aut voluntatem Christi, nec contra fructus Spiritus. Verum est, *quod Deus sit charitas*; sed & verum est, quod Deus sit, non modo sanctus, sed & ipsa sanctitas; nec modo justus, sed & ipsa justitia. *Ira non est in hac Dei charitate*; sed erga timentes eum: non erga blasphemantes, impœnitentes ac desperantes in inferno. *A dilectione hominum fraterna erga inimicos, quam Deus mandavit*, arguere velle dilectionem Dei, quâ feratur erga Diabolos ac damnatos, gratiæ Dei contemptores, analogiæ verbi divini minus congruit. *Immensa est Dei bonitas*; immensa quoque est Dei ira, ardens usque ad inferni novissima. Mutatur Deus, si quid alterutri derogatur. Inaccessa lux est Deus, neque verò lux justitiæ ipsius à luce gratiæ & misericordiæ absorberi potest. *Alienum est, quæ voluntatem Dei antecedentem, ac peregrinum Dei opus punire*; Idem tamen consolatur se voluntate consequente super hostibus suis: Idem est Deus Zelotes, ac visitat iniquitatem Patrum in filios, in tertiam & quartam generationem eorum, qui oderunt se. Commendat Deus suam charitatem erga nos in eo, quod Christus pro nobis mortuus est, cum essemus peccatores & hostes ipsius; ecqui, ergo, Christus amorem Dei nobis haud conciliaverit? Ecqui ille à lege charitatis æternæ, ad satisfaciendum, patiendum & moriendum pro nobis per se obligatus fuerit, qui semen Abrahæ perinde, ac lapsos Angelos, poterat non assumere? Ecqui Deus nunquam iratus fuerit propter peccata, quibus barathrum æternæ damnationis ita comminatus est, ut peccatorem ex manu sua non



posse aufugere, eumque, si vel in inferno se abscondat, à serpentibus punctum iri, summa cum asseveratione pronunciet?

§. XIII.

*Benignus est Dominus erga omnia sua opera: Idem tamen est Deus, non volens peccata. Qui malum operatur, discedere cogetur ab eo. Peccatum non potest exuperare gratiam ejus; posthabere tamen potest eandem, durante tempore gratiæ; & quoad hodie audiri potest vox Dei, etiamnum impetrabilem. Si verò impœnitentibus peccatum non remittitur; gratia Dei à peccato non quidem exuperatur, sed tamen repudiatur. Hæc repudiatio, non exuperatio, est causa damnationis hominum adæquata. Tot hominum myriadibus Deus peccata condonat; eccur ergo nec Diabolis? Verum Eremita aliud edoctus legitur, quod nimirum quatuor illa verba: Peccavi, Domine; miserere mei! à Diabolo non possint dici; apud *Dannhauv. Theol. Conscient. p. 309. & seq.* Paria fere de Martino narrat *B. Lutherus Comm. ad Gen. 4. Nec vincitur Deus à malo*, quando in æternum punit istud; verum ipse vincit malum in Diabolis ac damnatis inconvertibilibus, aliter haud vincibile. Interim falsum manet & ἀνένδεκτον, quod *æterna damnatorum supplicia adversentur Dei justitiæ.* Falsum est, & ἀσύγκλωστον, *mortem temporalem esse omnium pœnarum, quas lex inobedientibus ac transgressoribus distavit, summam.* Quin stipendium peccati mors, vitæ æternæ opposita, adeoque & ipsa æterna est. *Qui non habet beneplacitum in morte morientis, voluntate antecedente; idem ipse non potest finaliter impœnitentibus parcere, voluntate consequente. Qui vult misericordiam & non sacrificium; is non sacrificat homines, nisi sacrificent semetipsos Diabolo. Qui abominatur defectum commiserationis in hominibus, ipseque est Numen mite, placidum, ac Pater misericordiarum, per totum diem manum porrigens ac pœnitentiam offerens, tam immisericors fieri potest erga impœnitentes, quam misericors erga pœnitentes erat; & ira ejus non habet finem. Est ignis consumens: Pluet super impios igne & sulphure, & tempestatem horrifonam, ac dira tonitrua ipsis retribuet, tantum igitur abest, ut hæc retributio gloriæ benigni-**

nigni-



nignitatis divinæ contrarietur, ut potius benignitatis hujus ab hominibus rejectæ gloriam vindicet. *Perdurat τὸ γνωστὸν Θεῶν in damnatis in omnem aternitatem*, puta τὸ γνωστὸν horrificum gratiæ ac misericordiæ repudiata, nec non justitiæ vindicatriciis promeritæ, ac æternum præsentissimæ. Facit Deus omnia ad responsum suum etiam tum, cum impium ad diem malum facit. Quid enim amplius suæ faceret vineæ? Frustra igitur inter justitiam Dei vindicativam, & misericordiam ejusdem, repugnantia confingitur, cum ambæ ex vi & emphasi vocis Salomonæ sibi mutuo respondeant. Frustra quoque is gloriatur, se dependentiam creaturæ ab alterutro horum attributorum penitus aliis introspectisse, qui tamen utriusque, ac tot dictorum biblicorum, de utroque pari cum authentia testificantium, susquedeque habet panarmoniam.

§. XIV.

Enimvero machinationum religiosarum nullus est modus. Integra firmata legas offuciarum, quibus imponere simplicioribus novelli Origenistæ conantur. Diphtheras opplent ratiocinationibus, de quibus ambiguum est, sagacioresne ac subtiliores, an magis temerariæ & crassæ dici mereantur. Cum primis videas, restitutionis imaginariæ, & à Petrina Actor. III. 21. dissonæ, Hyperaspistas complures oggerere miram τῶν αἰτημάτων λίαν μεγάλων ac petitionum principii farraginem. Ejusmodi sunt, quando contendunt α) *Marc. IX. 43. 44. per adverbium ὅπως denotari vermem, non, absolute non moriturum; verum tantummodo vermem, in πῆρ gehennali, seu maris, quoad damnati in gehenna sint, non-moriturum.* Quasi verò non detur etiam ὅπως cœlesti Matth. VI. 20. Sic igitur etiam thesauri nostri ac deliciæ cœlestes finirentur. Quod absolum. Quasi præterea Psalmo XLIX. 15, 20. non exerte dicatur, damnatos IN INFERNOMANSUROS, ET LUCEM NUMQUAM VISUROS ESSE: & quasi MAGNUS ille HIATUS non sit adeò FIRMATUS, quin possint damnati διαβῆναι, Luc. XVI. 26. β) *Matth. XXV. 26. etiam vitam, non interminabiliter, sed periodicè tantum æternam, intelligi.* Quasi verò nondum satis foret, æternitatem supplicii infernalis tam proæreticè ac præfractè negasse;



negasse; sed & insuper ipsammet gaudiorum coelestium æternitatem ac immutabilitatem temeratum iri, & ut regni modo Sathanici restitutio asseratur, vel ipsi coelo vim inferri, necesse sit. Sic verò ἀνάπαυσιν haberet æterna beatitudo; id quod tamen offeret loco notissimo Apoc. IV. 8. Sic gaudium immutabile tamen foret mutabile; & id, quod auferri nullo modo potest, utcunque tolleretur, contra Joh. XVI. 22. Et sic non πάντοτε tum forent beati apud Dominum, cum ista mutatio contingeret, ac duratio gaudii continua interrumperetur. Sic novum cœlum & nova terra Apoc. XXII. 1. denuo inveterascerent; nec τὰ πρῶτα ἀπελθόντες, nec καινὰ πάντα πεποιημένα vers. 4. 5. constanter & perpetuo dici possent.

§. XV.

Contendunt γ) *ultimum quadrantem Matth. V. 26. à damnatis per exantlationem suppliciorum infernalium ita tandem exolvi, ut eadem in æonas æonum daret, finienda tamen aliquando sit.* At enim verò ubi scriptum est, exolutionem ultimi quadrantis hoc pacto futuram esse? Affirmantibus incumbit probatio. δ) *peccatum in Spiritum Sanctum neque in hoc, neque in futuro seculo, attamen post futurum seculum; nec εἰς τὸν αἰῶνα, attamen μετὰ τὸν αἰῶνα, sive post æternitatum æternitates remissum iri.* Anne verò non irritum est, proprio ausu τὸ εἰς τὸν αἰῶνα in textu Marci satis perspicuo transvertere in μετὰ τὸν αἰῶνα? Anne non hoc est viam pandere Bellarmino & aliis Pontificiis, hac phraseos detorsione purgatorium suum ignem probatum euntibus? Anne non plana est æquipollentia phraseos, apud Matthæum extantis, *Neque in hoc seculo, neque in futuro remittetur;* & apud Marcum nostrum: *Non habet remissionem in æternum,* unà cum accessione isthac: **SED REUS ERIT ÆTERNI JUDICII.** Quod si τὸ εἰς τὸν αἰῶνα remissibilitatem aliquam, post hoc seculum futuram, innueret aut connotaret; ecqui, sodes, addi posset reatus iudicii æterni? Quin hoc sensu potius immunis ab æterno iudicio pronunciaretur. Neque sic Judæ Ischariothæ melius foret, non fuisse natum, contra Matth. XXVI. 24. Verùm hoc quidem pacto omnes,  
in



in Spiritum Sanctum peccantes, omnesque, in finali incredulitate perseverantes, forent electi, forent libro vitæ inscripti, ita, ut ingens omnium quoque damnatorum multitudo in media gehenna jubilare tamen posset, & æquè ac pusillus Ecclesiæ militantis grex diceret: Τῆ ἐλπίδι ἐσώθημεν Rom. VIII. 24. Vid. Dn. D. Pfaff. *Sylog. Quest. Theol. pag. 92.* Sed enim phrasis εἰς ἀιώνας τῶν αἰώνων Ap. XIV. II. XX. 10. æternitatem propriam, absolutam, finisque nesciam denotat. Gal. I. 5. Eph. III. 21. Phil. VI. 20. 2. Tim. IV. 18. Hebr. I. 8. XIII. 21. I. Petr. IV. II. V. II. Ap. I. 6. 18. IV. 9. V. 13. 14. VII. 12. X. 6. X. 15. XV. 7. Confer. & I. Par. XVII. 36. Neh. IX. 5. Ps. XC. 2. CVI. 48. Dan. II. 20. Sir. XLII. 21. Quod idem cum Glassio & Fesselio monet ibid. pag. 93. 94.

§. XVI.

ε) *Christum spiritibus in carcere damnatis hancce liberationem & restitutionem annuntiasset, prædicasset, & evangelizasset, idque à Petro indicari* 1. Epist. III. 19. IV. 6. Supponitur quippe iterum tanquam certum, à Petro ad controversam hanc ἀποκατάστασιν utrobique, aut alterutro saltem in loco, respici. Id quod in textibus Scripturæ interpretandis tam audacter atque confidenter supponere si sufficeret, tum verò Coccejana verborum Biblicorum significatio, eaque non actualis, sed possibilis, denuò introduceretur. ζ) *dogma de interminabilitate pœnarum infernalium per se & ex natura sua homines ad atheismum, dogma autem de restitutione, ad veram pietatem deducere.* Contrarium omninò in disco solis positum est. Quin ea cernitur mundi indoles, & ea postremorum horum temporum conditio, ut plerique athei practici, voluptuarii, Epicurei & præfracti homines malagma inde capessant, si illud Augustanæ Confessionis in articulo nostro, UT SINE FINE CRUCIENTUR, à tot eruditissimis ingeniis videant collabefactum iri, docentibus, FINEM POENARUM hominibus damnatis ac Diabolis futurum esse. Frui itaque malunt, quam carere præsentibus. Tantundem habere cupiunt, quantum edunt; quandoquidem non desperant futura. Faciunt ergo, quod volunt; & patiuntur, quod debent. Δεληὶ quidem certè per hos consolatores minimè omnium



omnium erit ἐνὶ πυθμένι θεοῦ. Spes in fundo supererit. Edamus, bibamus, ludamus: post secundam quoque mortem rediviva voluptas. Quid multa? Nihil ad veram pietatem adducere homines potest, quod ἀτεγ γραφῆς & ἀντὶ γραφῆς excogitatur.

§. XVII.

ζ.) ignem infernalem dici ἀσβεστον Matth. III. 12. in sensu Chemico, ita, ut ex cinere zizaniorum aliquid boni queat efformari, quo sensu arbor etiam amputata, excisa, abjecta, & penitus rejecta Luc. XIII. 6. 9. ita tamen sese habeat, ut ex ejusdem pulvere aut cinere Deus novam Paradisi arborem erigere ac constituere velit. O ingentem ab Alchemia in Theologiam saltum! Unde tandem id probabitur, divinissimum Johannem Baptistam de Alchemisticâ ejusmodi apocatastasi cogitasse? Combustio illa quippe non est annihilationis, nedum Physicæ ἀλλοιώσεως καὶ μελασοιχαιώσεως, transmutationis, transelementationis, ac transmetallationis; sed æternaturæ potius κολάσεως sive afflictionis Matth. XXV. vers. ult. η) post æternitatum æternitates, & post æconomiam justitiæ, aliam aliâs ævi æconomiam restare, quo justitiæ vindictiva planè cesset, & misericordia super omnia entia creata quam abundantissime dilatetur. Quod ipsum πρῶτον ψεῦδος cum adhuc operosè antehac diluere studuerimus, ulteriori nunc operâ super sedemus. Esto; Restinguere potest amor Dei ignem infernalem, quem accenderit ira Dei: Nec impœnitentibus tamen, verùm pœnitentibus & tempore gratiæ rectè utentibus ista restinctio prodest. Restinxit eundem per mortem Christi, cujus fructum nemo, in finali impœnitentia decedens, amplius perferentiscet, utpote ultra hunc litem ac terminum nequaquam promissum. Esto denique: Diaboli possint considerari vel ut Diaboli, vel ut Angeli; Nulla tamen consequentiæ lege hinc inferas, quod iidem, ut Angeli etiam, eximi queant à suppliciis infernalibus. Liceat bonâ cum Lectoris cordati veniâ rem illustrare simili quodam. Ita nempe inter hominem & animal distinguere quidem licet; si tamen fur suspensus à patibulo tollitur, non tantùm inde tollitur ut animal, verum etiam ut homo. Quid multa? Ignis paratus est Diabolo & Angelis  
ejus, Matth. XXV. 41.

§. XVIII.



§. XVIII.

θ) ἀποκατάστασις Act. III. 21. *plura denotare, quàm superius §. 4. fuerit insinuatum; cum primis verò mutationem à statu damnationis ad statum beatitatis involvere.* Hem! Ubi verum ἀποκαθίστημι, à quo descendit ἀποκατάστασις, in N. T. sensum isthunc obtinet? Significat enim restitutionem vel sanitatis Matth. XII. 13. Marc. III. 5. VIII. 25. Luc. VI. 10. vel personæ visibilis Hebr. XIII. 19. vel regni Israelitici Act. I. 6. vel eorum, quæ ante primum Christi adventum necessaria erant Matth. XVII. 11. 12. Marc. IX. 12. Quæ est omnium in N. T. locorum, in quibus hoc verbum invenitur, inductio: unde intelligimus, istud nihil minus, quam mutationem à statu damnationis ad statum beatitatis notare. In cassum quoque huc trahitur Platonicum istud somnium de προϋπαρξεί seu præexistentia animarum, suo prius receptaculo detentarum, & postmodum in certa quædam corpora intrusarum, purgandarum, innovandarum ac quasi restituendarum; quod commentum nonnullis videtur approbasse Autor Libri Sap. cap. VIII. 29. 30. ubi Salomonem præter alia sic loquentem introducit: μάλλον δὲ ἀγαθὸς ὢν ἤλθον εἰς σῶμα ἀμίαντον. Eodem collimare videtur illa Herodi credita μετεμψύχωσις Johannis Baptistæ, in Jesum Nazarenum facta, Matth. XVI. 14. Imò & Samuel redivivus, nec non Elias redux Siracidæ; nec minus mortui juxta Autorem libri 2. Maccabaici, oblationibus lustrati, adeoque suis temporibus restituendi, huc referuntur. Conf. *Dn. Prof. Bücher. Mens. XII. cister Zugabe* pag. 606. 607. & seqq. item pag. 616. 618. 619. 621. & cum primis legis *epistolam Justiniani ad Mennam Patriarcham in Actis Synodi œcumenici V. apud Binium, Tom. IV. Concil. p. m. 330.* ubi hæc Origenis taxantur verba: Ἦν πρὸ σώματος ἡ ψυχὴ ἐν βρανοῖς προῦσα, καὶ κείσε ἀμαρτήσασαν ἐν φυλακῇ κατήγγισε, τῆσιν, ἐν τῷ σώματι κατέπεμψεν εἰς καθαρισμόν ἢ σωφρονιστὸν τῶν ἐν βρανοῖς αὐτῇ γεγενημένων ἀμαρτημάτων. *Erat anima ante corpus & præexistebat in cælis, eamque, cum ibi peccasset, in custodiam immerisit Deus, id est, in corpus demisit, ad purgationem & castigationem admissorum in cælis criminum.* Ecquis autem

D

tam



tam miserabiles ἀποκαταστάσεων chimæras Act. III. 21. ab Apostolo divinitus inspirato innui, jure existimaret? 1) ἐλευθέρωσιν creaturæ ἀ servitute corruptionis Rom. VIII. 12. ratione modi nobis esse impervestigabilem, & soli Deo cognitam. Inde tamen haudquaquam firma consequentiæ lege elicitur, ἐλευθέρωσιν istam creaturæ gembundæ mutationem à statu damnato ad statum beatum fore. Sed enim controvertitur super hâc in præsentî, non de alia quacunq; liberatione. Etsi enim qualitas intrinseca mysteriî de vitâ æternâ nobis haud innotescit, quoad ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus; veritas tamen ejusdem indubitata nos convincit, Diabolum haud fore beatitudinis nostræ socium, utpote missum in stagnum ignis & sulphuris, ubi cruciatur die ac nocte ab æternitate in æternitatem Apoc. XX. 9. 10. Ecqua, malum, huic speranda liberatio?

§. XIX.

1α.) *demonstrat hominesque damnatos esse infirmas creaturas, adeoque incapaces æternorum atque infinitorum suppliciorum exantlandorum: Deum ergò crudelem fore, si tam incapacibus creaturis plures, aut majores imponat pœnas, quam sufferre possint.* Nimirum Is, qui omnia portat verbo virtutis suæ, concursu suo & influxu conservativo ἀδυναμία isthanc ita tollit, ut, si vel maxime damnati quærant mortem, non tamen inveniant eam, si desiderent mori, fugiat mors ab eis. Etsi quoque annihilationem sui appetierit Judas Ischariothes, cui melius foret, nunquam extitisse; ne hanc tamen obtinere poterit. Non quidem capaces redduntur damnati ad supplicia infernalìa perpetiendâ per Dei bonitatem, utpote quos odit; nec per Dei misericordiam, utpote quos deseruit, & quorum in æternum haud amplius sese miserturum dixit; attamen per Ejusdem, qui est ignis consumens, & cujus ira usque ad inferni novissima ardet, omnipotentem justitiam, justamque omnipotentiam. 1β.) *proportionem inter peccatum finitum & pœnam infinitam ob lesionem Boni infiniti intercedere quidem, si spectes privationem boni in anima peccatrice, quæ est pœna damni (Adversarii volunt dicere: Lesio boni infiniti, ac privatio Boni infiniti, videlicet*



delicet Dei, luminisque & amoris divini, inter se admissim, ex lege Dei aternâ, hoc est, ex regula justitiae sanctitatisque Dei aeternae, juv. a quam semetipsum negare non potest, respondent) è contrariò autem nullam apparere proportionem, contendunt, inter actum peccandi finitum, & pœnam sensûs infinitam, sive sensum privationis boni infinitum. Hunc perpetuari in aeternum debere, non agnoscunt justitiae divinae conveniens. Sed vanum est, fateri proportionem, quæ inter læsionem Numinis infiniti & privationem Boni infiniti, sive pœnam damni intercedit; & tamen negare, proportionem isthanc inter peccatum & sensum pœnarum infernalium intercedere. Quandoquidem omnes illi, quibus dicitur ITE, sunt etiam illi, quibus æterna κόλασις adjudicabitur, Matth. XXV. 41. 46. ut adeò separatio & abitio sive recessio à Christo, quæ est privativa pœna, divelli à sensu κολάσεως per evidentiam loci allegati haud debeat. Qua quidem assertione è sacris literis probatâ, hypothesis contraria, quanta quanta est, collabefacta ruit ac prostrernitur.

§. XX.

17) causam atque originem durationis pœnarum haud querendam venire in infinitate divinae Majestatis, sed potius in continuatione criminum, quæ ex damnatorum impotentia longâ consuetudine ac demerito fluat. Addatur: Ex voluntaria malitia, ex consuetudine non qualicunque, sed pervicaci; neque etiam ex demeritò qualicunque, verum ipsissima incredulitatis finalis, cum actuali æternæ damnationis inflictione conjunctæ. Perditio tua ex te, Israël: Qui non crediderit, condemnabitur. Cæterum appellare peccatum impotentiam hominis, ac destitutionem Dei, est nihil aliud, quam intrinsecam ejusdem formam, naturam, & reatum tam culpæ, quàm pœnæ, seu mavis, ejusdem formale, tam constituens, quàm consequens, non ex Verbo Dei satis lustrasse aut penetrasse. Quinimò si ejusdem ἀνομίαν horribilem à sola Dei destituentis voluntate cum Arminianis aliisve deducas, parum aberit, quin Deum ipsum peccati constituas Autorem. Sed & immutabilis ac infinita Dei, qui semetipsum negare nequit, sanctitas violabitur, si dicas, intrinsecam peccati turpitudi-



tudinem sublatâ Dei prohibentis, aut contrarium mandantis, voluntate tolli, adeoque peccatum, dummodo Deus velit, aut prohibere nolit, licitum fore. Multa paucis: Causa & origo durationis pœnarum haudquaquam est infinitas divinæ Majestatis, ut in se spectata, verum ut offensa, & offensionem justissimè vindicans, ut sancta, omnis impuritatis ac labis peccaminosæ expers, & ut verax, comminationum suarum exactissima impletrix. Unde factum, ut infinita Dei Majestas æquè, ac ex gratiâ fide apprehensâ salvare finaliter credentes, incredulos ex justâ irâ æternùm damnare constituerit. Quodsi peccata non merentur ex se & sua natura mortem æternam, tum finita creatura Deo, per peccatum læso, satisfacere potuisset. Et sic bis crudelis fuisset Pater erga dilectissimum Filium: 1.) quod tantam pœnam Filio inflixisset, quantam nulla unquam creatura, ne Angelica quidem, vel per momentum temporis sustinere potuisset; 2.) quod plus exegisset à Filio, quam erat in obligatione, ac graviolem inflixisset pœnam, quam commervisset peccatum. Infinitam enim imposuit, dum statuit eum pro nobis maledictum, & voluit à Deo derelictum mortem pro omnibus voluntariam gustare. Lædunt itaque Majestatem divinam omnes illi, qui docent, offensionem ejus per peccatum rem non esse tanti momenti, ut justè transgressores mandatorum suorum æternis afficere suppliciis queat. Vid. Dn. D. Jägeri Exam. Theol. nov. pag. 229. & seqq. & Dn. D. Hebenstreitii, τὸ Διδασκαλικὸν, Disp. de peccati natura & adequata mensura pag. 32. 33. & seqq. Faceffat igitur æternum istud Pseudo-Evangelium, gratum Atheis, Epicureis & Hypocritis, in impietate sua tacitè confirmandis, aut ad summum eo non obscure invitandis, ut ad gratiam peccent, aptum, imò etiam pro ipsis damnatis spiritibus molliter refocillandis atque consolandis, publicatum, Satanæque adeò ipsi, in Angelum lucis transformato, & breve tempus ad seductionem hominum superstes habenti, una cum rationibus probandi suppeditatum.

*Eheu! Dux Erebi, in quantos solvere cachinnos,  
Pro technis, homines quæis Tu noctesque diesque*

*Tartara*



*Tartara ad ima trahis, tanta indulgentia tandem  
Si tibi vatidico ex zelo spondetur ab ipsis?*

§. XXI.

Finiam hanc Origenismi, utcunque sive ex toto, sive ex parte considerati, διασκεψιν verbis laudati *Dn. D. Jägeri Diss. V. adversus Systema Poiretianum* §. 6. usus: *Quod quidam asserere ausi sunt, reprobationem non fore aeternam, atque adeò ex inferno dari non saltem pro hominibus, sed & Diabolis redemptionem, id interpretativa & furores hujus seculi temerarii & ecstatici pertinet.* Nimirum instar omnium patescit, quò Pietismus hodiernus ad supremum impietatis apicem ascenderit, ex Tractatu 1707. editò, cui titulus: *Außführliche Beschreibung des neuen Unfugs / welchen die Pietisten vor weniger Zeit / als im Jahr 1705. und 1706. wieder alle Obrigkeitliche Edicta ferner verübet und gestiftet haben; ubi pag. 7. circa Apoc. XX, 13, 14. Wittensteiniensis quidam Eusebista sic ausus est commentari, die Hölle und der Todt müsten ihre Todten herausgeben / nachdem würden die Hölle und der Todt in den Pfuhl geworffen werden: wenn also keine Hölle und kein Todt mehr wäre / wäre einfolglich kein Ort mehr / wo die verdammten bleiben könten; es ließe einmahl gegen die unendliche Liebe und Barmherzigkeit Gottes / wann nicht alle Teuffel und Verdammten solten seelig werden. Quasi verò per infernum hinc non ipsi damnati, qui ex inferno prodibunt, & ratione corporum etiam per sententiam extremi judicii in infernum projicientur, intelligerentur, & mors in victoriam absorbenda 1. Cor. XV, 54. per mortis projectionem in stagnum infernale significaretur. O absonam verò sequelam! Mors & infernus in stagnum ignis projicientur. E. Mors & infernus non amplius existent. Et paulò ante pag. 6. Man bekümmert sich umb zeitliche Erbschafft / und umb unsre arme Seelen bekümmern wir uns nicht. Ich meine! Ich meine! Diese arme Seelen werden es noch empfinden / denn der Teuffel wird hinter ihnen hergehen / und sie peitschen /*



peitschen bis oben und zu oberst in den Himmel hinauf.  
 Denn es müssen diese arme Seelen doch noch / sie wollen  
 oder wollen nicht / bekehret werden / und wenn es auf  
 die Nührung Gottes nicht geschicht / durch den Teuffel  
 aus der untersten Höllen in den Himmel gebracht wer-  
 den. O miserum animarum damnatarum Salvatorem! Ne quis  
 dubitet de hoc salvandi modo, addit: Ja / ja es muß ge-  
 schehen / und wird gewiß geschehen. Denn wann ich  
 dieses nicht glaubte / hätte ich keine Liebe; ich wäre ein  
 thönendes Erz / und wolte nicht / daß ich geboren wäre /  
 ja / ich wolte lieber ein Staub und verflucht seyn. Wenn  
 dieses nicht wäre / so müste Gott ungerecht / Christi  
 Verdienst unvollkommen / und seine Liebe Nichts seyn.  
*Similia febricitantium somnia occurrunt p. 31:* Alle / die zwar  
 völlig nach verdientem Lohne abgestraffet seyn / werden  
 selig werden / nicht auff einmahl / sondern successivè,  
 allgemählig / und wann sie denn auff solche Weise der  
 Höllen-Quaal entgehen / so werden die Teuffel auch  
 selig / als diejenigen / so die Göttliche Justiz exequiret  
 haben. Num sponte verò? Imò ut inviti & carnifices, Deum non  
 laudantes, sed calumniantes; neque ullo Dei amore, sed omni omni-  
 no odio referti. Tandem attentius legi & ponderari velim verba *B.*  
*Lutheri* ex Tom. VI. Witt. im Send-Brieff an Junckern  
 Herrn von Rechenberg zur Freystadt p. 424. fac. 2. & seq.  
 quæ apud *B. Dannhaverum Theol. Conscient. p. 289. Tom. post.*  
 laudantur: Gestrenger Herz! Es hat bey mir sinnen lassen  
 mein Gnädiger Herz Graff Albrecht von Mansfeld ꝛ.  
 an Euer Gestreng ein schriftlich Unterricht zu thun / über  
 die Frage / Ob auch die / so ohne Glauben sterben /  
 GOTT möge oder werde selig machen ꝛ. ꝛ.  
*Sarta igitur & tecta perstat Augustanæ Confessionis sententia,*  
*cum primis in illo Galatinò cap. I, 8. solide fundata, DAMNAN-*  
*DOS ESSE ANABAPTISTAS, QUI SENTIUNT, HOMINI-*  
 BUS



BUS DAMNATIS AC DIABOLIS FINEM POENARUM FUTU-  
 RUM. Neque fecius puro Dei Verbo consona est ejusdem Au-  
 gustanae Confessionis assertio, CHRISTUM IMPIOS HOMINES  
 AC DIABOLOS CONDEMNATURUM ESSE, UT SINE  
 FINE CRUCIENTUR; seu mavis ex XVII. articulis Lutheri,  
 qui prima A. C. lineamenta fuerunt, ac *Tom. V. Jen. Germ. fol.*  
*14. & seqq.* inveniuntur, daß Unser Herr Jesus Christus  
 an dem Jüngsten Tage die Unglaubigen und Gottlosen  
 straffen / und sammt den Teuffeln in die Hölle ver-  
 dammen wird ewiglich / art. 13.

SOLI DEO GLORIA.



Uid? Christusne lapis quadrangularis  
 Damnato in grege dicitur futurus?  
 Nugæ! Haud in Styge, sed Sione postum  
 Nobis Amosides stitit Propheta,  
 Credentemque hominem beare solum,  
 Non incredulum ad astra ferre, dixit.  
 Tarsensis quoque rupis accola ipse  
 Falsi Evangelii malum ministrum  
 Diris devovet abjicitque diâ  
 Execrabilibus coinquinatum,  
 Tetrum & sacrilegum modis ab æde.  
 Pseudevangelii ergo conticescat  
 Præco Tartarei, & quadrangularem  
 Petram haud in Styge, sed Sione quærat.

*Id dabit φιλομαθεσάται*

DOMINO RESPONDENTI suo

PRÆSES.





Ex manet æternæ poenæ, quam Tan-  
 talus haurit,  
 Quam trahit Axion, quam Dathan  
 ac Abiram.

Lex manet æternæ poenæ, quæ fine carebit,  
 Clausit ut ad cunctas janua nigra preces.  
 Hoc Tu dum nosti, MÜLLERE, bono auspice  
 fato

Cocyti æternos differis esse lacus.  
 Multa precor paucis, fervet Tibi fata beata  
 Numen, ne inferni vincula dira geras.

*Amoris & gratulationis causa  
 Dilectissimo suo & Auditori & Contubernali  
 hæc scribebat*

M. JOH. MICH. Sonntag/  
 Alumnor. & Oec. Insp.



*Coll. diss. A. 115, misc. 3*